

*lumine verum S. Scripturæ sensum & mentem posse intelligere. Socianos verò cum Arminianis hîc facere patet ex Brevi Disquisit. contra Valer. Magnum de A catholicorum credendi regulâ, cap. 4. ubi hæc inveniuntur. Negan- dum est, nullum certò assequi verum sensum S. Literarum, nisi interiùs illu- stratus & doctus sit à Spiritu Sanctò. Et paulò pòst. Quemadmodum quisque etiam sacra oculis legere, auribusque audire potest sine Spiritus S. interiore ope, aut peculiari oculorum auriumque illustratione: ita non minùs intelligere judica- reque eadem sacra licet rationis sanæ beneficiò, etiamsi nondum accesserit Spi- ritus Sancti illustratio. Idem etiam palàm fit ex allegatis Slichtingii locis, ubi contra Meisnerum de Scripturæ interpretatione disputans, semper ad Rationem, nunquam ad Spiritus S. illuminationem recurrit.*

5. Contra Reformatos verò statuunt Remonstrantes & Sociniani homini sanam mentem, & Naturalis intellectus Lumen, dummodò à præjudiciis sit liber, nec pravis affectibus obrutus, sufficere, si diligentiam adhibeat, ad S. Literas intelligendas, in locis clarioribus; Ajunt enim in Confess. cap. 1. sect. 14. Remonstrantes. *Non doctos tantùm, sed & idiotas, (com- muni quidem sensu, ac judiciò præditos) quantum satis est mentem eorum (de clarioribus loquuntur) adsequi posse: modò præjudiciò, vanâ confidentiâ, aliisque pravis affectibus sese occæcari non sinant: sed Scripturam hanc piè, ac sedulò scrutentur;* Et Sociniani in Cateches. Racov. cap. 3. causam reddentes discrepantiarum super intellectu S. Scripturæ, assignant hanc, quòd nempe *homines S. Scripturam, vel negligenter legant, vel non adferant cor sincerum, & ab omnibus impedimentis, ac cupiditatibus solutum. Vide plura, quæ huc faciunt, à nobis superiùs allegata. At insuper in locis obscurioribus inter- pretandis verum sensum, ex scopò & occasione uniuscujusque loci subjectâ item materiâ, antecedentibus & consequentibus, item ex collatione locorum similium, nec non ex absurditatibus palpabilibus alioqui secuturis, aliisque id genus argu- mentis, aut rerum indiciis, dignosci posse ac debere, asseverant expressis ver- bis in suâ Confess. & in Apolog. cap. 1. Sect. 16. Remonstrantes. Soci- niani verò in his locis Rationem in subsidium advocant, ut patet ex ipsarum suprâ allatis testimoniis, & quidem omnium apertissimè ex Slichtingio, quando ait, Si de rebus agatur obscuris, qui vis videt, sine ratione rem non posse confici: & paulò pòst, neque enim nos ad rationem recurrimus, quoties Scriptura contrarium aperte testatur: Sed quoties de Scripturæ mente dubitatur. Plura eòdem spectantia superiùs ex ipsò attulimus, quæ videri possunt. Quid verò his hîc locò rationis nomine veniat, ipsane rationandi ac judicandi facultas discursiva, an ejus dictata, ac inventa per discursum & experientiam aut aliò quòquam modò detecta ac eruta, non disertè declarant ac pronun- ciant ipsi; quamvis utrumque intelligere videntur, imò intelligunt, si Author*

Brevi